

## CORNELII TACITI

- 9 Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus  
humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac  
2 Martem concessis animalibus placant. pars Sueborum et  
Isidi sacrificat: unde causa et origo peregrino sacro parum  
comperi nisi quod signum ipsum in modum liburnae figura- 5  
3 tum docet advectam religionem. ceterum nec cohibere  
parietibus deos neque in ullam humani oris speciem ad-  
simulare ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos ac  
nemora consecrant deorumque nominibus appellant secre-  
tum illud, quod sola reverentia vident. 10
- 10 Auspicia sortesque ut qui maxime observant. sortium  
consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in  
surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super  
2 candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si  
publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse 15  
pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens ter  
singulos tollit, sublato secundum impressam ante notam  
3 interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eun-  
dem diem consultatio; sin permissum, auspicio adhuc  
fides exigitur. et illud quidem etiam hic notum, avium 20  
voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum  
4 quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur  
isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere  
contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel  
princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus ob- 25  
5 servant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud  
plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes; se enim  
ministros deorum, illos conscios putant. est et alia ob-  
servatio auspicio, qua gravium bellorum eventus explo-